


1. Carpfou. de iure Reichbildorū.
2. Schitter, de Curia Dominicalibus, Ling. Siles.
3. Hanaccius, de Are alieno Andijordm.
4. Stryck, de immunitate Domini à Periculo.
5. Thomajus, de iure Circa Frumentum. Tract. I.
6. Aldem, de iure <sup>Circa</sup> Frumentum Tractat. II.
6. b. Thomajus, de iure Futuro.
7. Schlevogt, de Alienatione Domino prohibita.
8. Serizonius, de iure Occulto.
9. Amfels, Unus actus nullus actus
10. Horn, de iure Circa rem alienam.
11. Orell, An Condicio, quæ propter Casum impleri nequit,  
pro completa habeatur.
12. Lyncker, de Fatalibus.
13. Mylius, Usus, de Novi Operis Nuntiatione, in Foris.
14. Menjerus, de iure Fisci Civitatibus municipalibus  
Competente.
15. a. Hofmann, de Dignitate iurium, in Lurando Adult-  
ferii Crimine.
15. b. Helliger, de Poena Pecuniaria in Delictis Carnis.
16. Klein, Examen iuridicum Iudicialis Lamin-  
rum Confessionis, Se ex nefando Cum Satana Eistū

Prolem suscepisse humanam.

17. Klein, de Inculpatione et Exculpatione vulnerati moribus.
18. <sup>di.</sup> Leyserus, de Crimine Laesae Majestatis.
19. Leyserus, de Officio iudicis, Circa Tormenta.
20. Leyserus, de Immunitate Tormentorum.
21. Itio, de iudicium Circa Torturam excedentium Emenda.
22. Leyserus, de Confessione extorta.
23. Leyserus, de Exilio, Speciatim revelatione, tum simplici, quam Fugatione Conjuncta, eorumdem Penarum Indole et effectibus.
24. Carpov, de Infantibus expositis.
25. Lielienthal, de Inglecicis, eorum usu et Abusu. Thom. Bücher
26. Riemer, de iure Foeminarum in Feudis.
27. Nevoigt, de Allodialis investitura Renovatione.
28. Hoffmann, de iure Separandi Feudum ab Allodio et Allodii à Feudo.



DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE  
ALIENATIONE  
DOMINO PROHIBITA, 7

GERMANIS:

In welchen Fällen dem eigenthümlichen Besitzer die Ver-  
äußerung seiner Güter untersaget werden könne.

QVAM  
PRAESIDE  
IO. PHILIPPO SLEVOGTIO, IC.

CONSILIARIO SAXONICO ET ANTECESSORE  
CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTIATIS  
IURIDICAE ASSESSORE

PRO LICENTIA

IN

AVDITORIO IURECONSULTORVM IENENSIVM

AD DIEM XIII. FEBR. MDCXCIII.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

SISTET

DANIEL EVSEBIVS IAEGER.



---

IENAE,  
REC. PER IO. BERNARDVM HELLERVM,  
A. O. R. MDCCXLII.

7'





CAPVT I.

De alienationis prohibitæ speciebus  
ejusque homonymia.

§. I.

**Q**UAMVIS æquitati naturali nihil tam con-  
ueniens sit, quam voluntatem domini  
rem suam in alium transferre volentis,  
ratam haberi, §. 40. *f. de R. D.* & qui-  
libet rei suæ liberrimus moderator &  
arbiter dicatur, *l. 21. C. mand. ut possit*  
facere quicquid velit *arg. l. 48. ff. de*  
*part. & re sua etiam abuti, l. 25. §. 11. ff.*  
*de petit. hered.* tamen accidit aliquando, ut qui do-  
minus rei sit, alienare non possit, *pr. f. qu. al. lic.*  
*vel non.* & hoc vel ex conventionione, vel per natu-  
ram,

A 2

ram,

ram, vel per Magistratum, vel per tertium privatum, vel per legem.

§. II. Alienationis autem verbo non solum translationem domini, *l. 1. C. de fund. dot.* manumissionem & usucapiendi patientiam, *l. 28. ff. de V. S.* sed etiam omnem actum quo alteri jus in re aliqua, v. g. pignoris, emphyteuseos ususfructus, servitutis, dotis, donationis constituitur, *l. ult. C. de reb. al. non al.* pro substratæ tamen materiæ natura, hoc loco significari volumus: ut prohibita alienatione in his omnibus, & aliis domini effectibus principalioribus, regulariter prohibitam dispositionem existimemus. Qui enim non potest alienare, is nec alteri tale jus, quod de dominio delibare videtur, constituere potest, nisi contrarium ex lege, testamento, contractu, in quo alienatio prohibita, ejusque natura appareat. Sic prohibita alienatione regulariter etiam locatio ad longum tempus censetur prohibita: & talis prohibitio non tantum se extendit ad contractus inter vivos, sed etiam ad ultimas voluntates. *Sichard. ad l. 11. C. de fideicommiss. n. 11.*

§. III. Alias ubi materia tractatur odiosa, alienationis vocem stricte interpretandam, pro translatione domini, statuimus. Unde si alienatio



tio sub clausula pœnali sit prohibita, is qui rem oppignorat in pœnam non incidit, *Neguz. de pign. p. 2. Memb. 3. n. 73. & p. 2. m. 2. n. 30. Brunn. adl. f. C. de reb. al. non al.*

§. IV. Per dominum intelligimus tum directum tum utilem, tum quem quidam interpretes dicunt civilem, tum naturalem. Per prohibitionem autem non solum eam, quæ impedit translationem domini, & alienationem vel statim ipso jure nullam, vel rescindendam facit; sed etiam quæ domini translationem quidem non impedit, nec revocat, verum ipsum alienantem alio vinculo quodam conventionis vel legis, ad præstandum interesse vel pœnam obstringit.

## CAPVT II.

### De prohibitionem conventionali.

#### §. I.

**N**ON est novum quod partes & contrahentes circa alienationem sibi legem dicant vel expressam, ut rem emtam venditam plane non alienent, vel tacitam, & limitatam in certis tantum casibus & sub certo modo.

A 3

§. II.

§. II. Expressa, licita non est regulariter, propter *l. pen. ff. de pact. l. 15. pr. ff. de servit.* Nimis durum enim esset, ut quis in vel circa rem suam aliquid facere prohibeatur, nisi vel paciscentis interfit, ubi id quod sua interest perlequi non prohibitum, *l. 38. §. 17. ff. de V. O. l. 29. ff. de recept.* vel poena sit adjecta, ubi ex stipulatione poenali etiam ille agit cujus non interest. *d. l.* Et hæc prohibitio absque reservatione domini vel pignoris non impedit domini translationem, sed operatur tantum persecutionem interesse vel poenæ.

§. III. Sic donator potest legem dicere donatario, ne rem donatam alienet. Sed si donatarius nihilominus alienaverit, ad legem donatoris recurrendum; quæ si sonet resolutionem donationis, ad priorem dominum ipso jure dominium redibit, & sic alienatio de facto facta erit nulla per *l. 13. ff. de pignorat. act.* Quando vero lex adjecta donationi, resolutionem non sonat, nec sibi donator expresse reservavit dominium, vel simile quid, dabitur condictio personalis.

§. IV. Notabile est: Si simpliciter convenit, ne divisio rei communis fiat, non valet pactum. Valet tamen, si de certo tempore sit dictum: & licet interim socius vendiderit suam portio-

tionem, potest tamen emtor, agendo communi dividundo, eadem exceptione submoveri, qua auctor ejus potuit, *l. 14. §. 2. 3. ff. commun. div.*

§. V. In conventionione tacita occurrit ADDICTIO IN DIEM, & quidem illa, quando res emtori pure addicitur, ut perfecta statim sit emtio, sed cum Conditione, meliore sc. allata conditione, resolvatur. Ubi dominium vel usucapiendi potestas rei emtæ interim transfertur ad emtorem, cum periculo fructibus & accessionibus. *l. 2. §. 3. ff. de addict. in diem* sed pendente hac conditione emtor rem emtam tertio iterum vendere non potest; Nam per existentiam melioris conditionis emtione resoluta, ipso jure dominium ad venditorem redit, *l. 41. ff. de R. V.* & emtio pro non facta habetur, *l. 1. b.* ut si emtor medio tempore rem emtam pignori obligaverit, res pignorata esse designat, & omne jus ejus resolvatur, *l. 4. §. 3. ff. b.* & fructus etiam interim perceptos venditori restituere teneatur, *l. 4. §. 4. l. 16. ff. b.* Debet autem (1) revera melior conditio esse oblata, *l. 4. §. 1. ff. b.* (2) hæc melior conditio à venditore esse acceptata, *l. 9. ff. b.* & (3) priori emtori certiorata, *l. 8. ff. eod.*

§. VI.

§. VI. Pertinet huc etiam effectus *L. COMMISSORIAE*, quando res hac lege venditur, ut si justo tempore pretium non solvatur, res sit inempta, *l. 1. ff. b.* His verbis pactum conceptum non tantum tribuit actionem ex emto, *l. 4. pr. b.* sed etiam rei vindicationem, *l. 4. C. de pact. int. emt.* Cum si pactum committatur, siue ei non pareatur, redeat ipso jure dominium ad venditorem, *l. 2. ff. b. l. 1. C. de pact. int. emt.* Si autem pactum his verbis proferatur, quod res, pretio statim die non soluto, ad venditorem redeat, vel contractus resolvatur, ipso jure non revertitur dominium: cum ad initium contractus non referatur, sed factum hominis desideret: hinc tali casu nec rei vindicatio tribuitur, sed tantum actio personalis ex emto. *l. 3. C. de pact. int. emt.*

§. VII. Venit etiam huc pactum & conventio *IVRIS PROTIMISEOS*, ut non alii, sed venditori potius distrahat rem emtor iterum venditurus, *der Näber-Kauff*: quo casu si actor contractui fidem non servet, sed rem alteri vendat, datur actio personalis ex vendito, si pactum hoc in continenti in ipso contractu sit adjectum, *l. 75. l. 79. ff. b.* & præscriptis verbis si demum in traditione sit adjectum, *l. 2. C. de pact. int. emt.* non in rem, de qu. in *seqq.*

§. VIII.

§. VIII. Adest etiam pactum DE RETRO-  
 VENDENDO, *der VViederkauff*, quando vendi-  
 tor sibi reservat jus eam rem redimendi vel simpli-  
 citer omni tempore, quo voluerit, vel intra cer-  
 tum tempus. *l. 2. C. de pact. int. emt.* Illo casu re-  
 stricta est potestas libere alienandi ad tempus 30.  
 ann. Nec prolongant hoc tempus particula, *sem-*  
*per, perpetuo, quandocunque*; quia non exten-  
 duntur ultra terminos juris praescriptos: ne in in-  
 finitum homines vexarentur actionibus, & nun-  
 quam essent certi de firmo rerum dominio. Quo-  
 modo etiam, *l. 31. §. 22. ff. de adilit. edict.* explica-  
 tur, conventionem, *ut in perpetuum redibebatur*,  
 ad annos 30. esse restringendam. *Brunn. add. l.* Est  
 enim haec actio personalis ex contractu, quae dicto  
 spatio extinguitur, *l. 3. C. de praescr. 30. l. 40. ann.*  
 Hoc autem casu si certum tempus sit adjectum, illo  
 elapso, extinguitur retrovenditio: quia ad tem-  
 pus concessa post tempus censetur negata, & im-  
 putet sibi venditor quod sibi non melius prospe-  
 xerit; ita ut morae purgatio nulla admittatur, cum  
 tempore effluxo in continenti firmum jus quaera-  
 tur emtori, ita ut & minori hoc tempus ex contra-  
 ctu defuncti adjectum currat, qui tamen ex justa  
 causa ignorantiae obtinet restitutionem. *l. 38. ff. de*

B

*minor.*

*minor.* Hoc pactum potest etiam cedi extraneo, cum non sit mera facultas personalis, sed jus aliquod formatum & commodum ex contractu, quod in alios transire potest. Si ergo emtor contra fidem datam nihilominus alteri vendiderit, re quidem nondum tradita, contra venditorem secundum ex vendito agere potest venditor primus, ut sibi res juxta pactum, eodem quo secunda vice vendita, tradatur pretio. *l. 75. ff. de contr. emt. re* autem jam emtori tradita, contra venditorem datur actio ad interesse, non actio realis, nisi ratione illius juris retractus hypothecam sibi legitime constituerit vel reservaverit venditor. *Carpz. P. 2. C. 32. def. 10.*

§. IX. In SEQUESTRO voluntario etiam tacite subest pactum de non alienando, & alienatio sequestri est nulla. *l. 6. ff. deposit.*

### CAPVT III.

## De Prohibitione naturali.

### §. I.

**C**ONSENSVS duo sunt principia, intellectus & voluntas, quorum unum si deficiat in aliquo

quo actu, agentes vel contrahentes consensisse non dicuntur. Cum autem ad quamlibet alienationem consensus alienantis requiratur ex ratione naturali: ideo illi, qui intellectum & voluntatem vel alterum eorum non habent, natura prohibiti alienatione existimantur.

§. II. Tales sunt INFANTES, qui septennio sunt minores (ad septimum enim annum largius loquendo infantem dici volunt *Dd. l. 14. ff. de spons. l. 18. C. de jur. delib.*) Et hi nec alios sibi obligant, nec aliis obligantur: quia infans non multum à furioso differt, & hujus ætatis pupilli nullum habent intellectum §. 10. *J. de inut. stip.* E. sicuti furiosus prorsus non obligatur, ita nec infans. Queritur autem: *an infantes cum tutoris auctoritate alienare possint?* Quod neg. (1) quia infantis nullum plane est iudicium, ætas eorum quid videt ignorat *l. 1. C. de fals. mon.* & infantem innocentia consilii tuetur *l. 12. ff. ad L. Corn. de Sic.* Ergo tutor defectum iudicii supplere non potest. Quod enim omnino nullum est, id suppleri non potest, sed solum quod est imperfectum. (2) quia infans neque scire neque decernere potest, non magis quam furiosus *l. 9. ff. de acqu. l. am. hered. l. 90. ff. de V. O. §. 10. J. de inut. stip.* (3) quia com-

paratur furioso. *l. 1. §. 3. ff. de acqu. poss. & d. l. 10.*  
 Aliud est in infante majore septem annis, qui pupillus infantiae proximus appellari solet: talis enim super rebus alienabilibus cum tutoris auctoritate recte contrahit. *l. 1. §. 13. ff. de O. & A.*

§. III. FURIOSVS nullum negotium contrahere potest. *l. 5. ff. de R. J.* E. nec alienare. Ipsius nulla mens est, nullus animi sensus. *l. 22. §. 7. ff. solut. matr.* absentis loco habetur in his quae animi requirunt praesentiam. *l. 2. §. 3. ff. de jur. Codicill. l. 124. §. 1. ff. de R. J.* quod adeo verum, ut ne quidem cum Curatoris auctoritate alienare possit (1) per *l. 5. ff. de R. J.* qua opponitur pupillo, qui fieri potest, (2) quia nulla est furiosi voluntas, nullum iudicium nullus consensus, hinc nec voluntas furiosi, quae nulla est, à Curatore suppleri potest. Si autem furiosus aliquod laxamentum, & intermissionem furoris. *l. pen. C. de Curat. furios.* vel dilucida intervalla habeat. *l. 9. C. qui test. fac.* tempore intermissionis quosvis contractus etiam absque Curatore inire posse non ambigitur. *l. 2. C. de contrab. emt.* Potest iudicium exercere. *l. 12. 39. ff. de judic.* & negotia tam publica quam privata recte gerere. Singulare est, si furiosus tempore remissi furoris testamentum coeperit, nec furore cor-



corruptus perfecit, quod nihil agat, etiamsi postea remisso iterum furore idem continuaverit & absolverit: quia testamentum uno contextu absolvi debet *l. 21. §. f. ff. qui test. fac. l. 28. C. de testam.* Sed quid in casu dubio, an testamentum præsumatur tempore furoris, an tempore sanæ mentis conditum? & attendenda sunt verba & contenta testamenti, an sanæ menti convenient *arg. l. pen. ff. de condit. instit. & si contenta paulisper sint dubia, tunc duo testes deponentes de sana mente testatoris, multis aliis contrarium asserentibus præponderant, per præsumtionem juris. Berlich. p. 3. Concl. 5. n. 14. Brunn. ad l. 3. C. qui test. fac.*

§. IV. MENTE CAPTI, qui omnino mente carent, phrenetici, ab Interpp. ob eandem rationem alienare prohibiti dicuntur.

§. V. Ut & EXTREME EBRII. Ebrietas enim mentis exilium inducit *c. 14. X. de vit. & bon. Cler. nesciuntque quid loquantur, qui vino indulgent, jacent sepulti cap. 7. C. 15. qu. 1. ideo fides ab ebrio data non obligat, modo ebrietas tanta sit, ut totam mentis rationem & judicandi facultatem adimat & sepeliat. Ut ebrius, furiosus, mortuus æquiparari possint. Gail. 2. Obs. 110. n. 8.*

§. VI. Referunt quoque huc IRATVM, qui tanto iræ furore percitus, ut quoddammodo mente alienatus sic, quia ira furor brevis, & iratus tantum tempore distare dicitur à furioso. Hinc quicquid calore iracundiæ fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si ex perleverantia apparuerit iudicium animi fuisse. *l. 48. ff. de R. J. l. 3. ff. de divort. & repud.*

§. VII. Eos etiam huc trahunt, qui vehementissimo amore stimulati aliquid alienant: nam & hi furiosis æquiparantur & non intelligunt quod agunt: unde Imp. *in Nov. 74. c. 4. pr.* dicit: Nihil furore amoris esse vehementius.

CAPVT IV.

De Prohibitione Magistratus.

§. I.

PROHIBITIO hæc Magistratus dicitur præceptum, mandatum de non alienando, inhibitiō, interdictum. Accidit vel proprio motu, vel ad præceptum legis, vel ad instantiam partium implorato iudicis officio.

§. II. Prohibitio, quæ fit proprio motu, fundamentum & causam habet in utilitate publica.

ca. Si enim civitas aliqua in necessariis vitæ sub-  
 fidiis quendam defectum & penuriam metuat,  
 magistratus recte prohibet, ne illa quorum penu-  
 ria metuitur extra civitatem alienentur: vel si alte-  
 rius civitatis cives ad hanc vel illam civitatem mer-  
 ces & vitæ necessaria advehere sint prohibiti, jure  
 retorsionis etiam his commune commercium &  
 apportatio necessariorum interdicitur. Sic in qui-  
 busdam civitatibus cautum, ne diebus hebdoma-  
 dalibus rustici ante horam decimam extraneis fru-  
 mentum vendant, sed civibus ad hanc horam pro  
 indigentia frumentum coëmere exclusive liceat:  
 nec injuria, potiores enim sunt cives quam pere-  
 grini *Menoch. de A. I. q. L. 2. cent. 6. cas. 585. num. 9.*  
*seqq.* Sic de moneta Imperii non exportanda &  
 exotica non importanda cautum *in der neuen*  
*Müntz-Ordnung* de anno 1559. §. *Und nachdem die*  
*frembde.* Rec. Imp. de anno 1576. §. *aber sonst.*  
 De auro & argento tam facto quam infecto *in Ab-*  
*schied Deputation-Tags zu Franckfurth* de anno  
 1571. §. *Und soll das verbothene Ausführen.* R. Imp.  
 de anno 1576. §. *Demnach ordnen und setzen wir.*  
 De lana extra Imperium in nimia copia non ex-  
 portanda *in der Reformation guter Policey zu Aug-*  
*spurg* de anno 1548. tit. *Verkaufung der VVollen-*  
*Tücher.*

*Tücher. §. Und nachdem auch. quod limitatum  
postea Rec. Imp. Ratisb. de anno 1559. §. Als aber.  
& R. Imp. de anno 1566. und 1577.*

§. III. Ad præscriptum legis prohibetur à  
Magistratu alienatio prodigis, quando iis bono-  
rum administratio per decretum interdicitur *l. 6.  
ff. de V. O.* Fiebat olim hæc interdictio à præto-  
re his verbis: *Quando tibi bona paterna habita,  
tua nequitia disperdis, liberosque tuos ad egestatem  
perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque inter-  
dico.* Hodie decretum à quovis Magistratu, com-  
petente tamen expediri potest & debet, sed præce-  
dente causæ cognitione, vocatis illo, qui habetur  
pro prodigo, & iis, qui cum eo contraxerunt, &  
examinatis omnibus actionibus, an finem & mo-  
dum largiendi habuerint nec ne *l. 1. pr. ff. de curat.  
fur.* Quo cognito per edictum, quod proclama-  
vocat, denunciatur omnibus, ut nemo cum illis  
contrahat *l. 6. ff. de curat. fur.* Licet ergo quis sit  
notorie prodigus, h. e. licet omnes sciant, eum  
non habere finem nec modum largiendi; tamen  
illius administratio ejusque gesta ante illud edi-  
ctum sunt valida. Ut enim vulgo dicitur, quod  
citius prohibeatur aliquid fieri de novo, quam in-  
firmetur id quod est antea factum; ita naturalis  
liber-

libertas in administratione rei propriae retro non est adimenda. Cuilibet enim non tantum usus, sed etiam abusus rei suae est permissus, *l. 25. §. 11. ff. de petit. hered.* dummodo non sit immodicus §. *fin. ibique Dd. de his qui sui.* An autem modicus aut immodicus sit, hoc à cognitione judiciali dependet, sine qua nemini bonorum suorum administratio auferenda; alias etiam deciperentur facile contrahentes, qui saepe mores ipsius cum quo contrahunt, cognitos non habent, vel inter liberalitatem & prodigalitatem non satis bene distingverunt. Licitam autem imo necessariam esse talem prohibitionem, nemo ambigit: furiosus enim & prodigus passim in jure comparantur *l. 1. ff. de curat. fur. l. 7. §. 11. seqq. quib. ex caus. in poss. & æquum est prospicere magistratum etiam eis, qui quoad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum l. 12. §. f. ff. de tut. & Cur. dat.* Hinc Justin. *in l. 8. §. 5. C. de bon. qua lib.* Melius est coarctare juveniles calores, quam iis indulgere: ne cupidini dediti tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimonium.

§. IV. Eodem modo, mala medicamenta & venena veniunt quidem in iudicium familiae exerciscundae, sed iudex se in his interponere non de-

C

bet.

bet. Boni enim & innocentis viri officio fungitur oportet. Tantundem debet facere in libris improbatæ lectionis magicis forte vel his similibus; hæc enim omnia protinus corrumpenda sunt. *l. 4. §. 1. ff. fam. ercisc.*

§. V. Prævia imploratione partium magistratus prohibet alienationem, quando quis ex causa aliqua noviter emergente sibi damnum aut iniquitatem metuit, & causam summaria demonstratione probabilem reddit. Tunc præceptum de non alienando magnam affert utilitatem, & in personalibus actionibus, quæ ad certas res consequendas competunt, nullum salutare magis, nullum expeditius datur remedium. Sic si venditus sit fundus, & nondum traditus, si fundus vel alia res cum pacto de retrovendendo sit vendita, si in venditione reservatum jus protimiseos, & possessor contra datam fidem rem alteri velit vendere; tunc hoc remedium ad impediendam dominii translationem plurimum confert. *l. 31. §. 4. ff. de reb. auct. jud. poss.* ubi etiam sola paupertas pro sufficienti causa ad interdicendam alienationem reputatur.

§. VI. Remedium arresti quamvis ex se vel sua natura non impediatur alienationem, afficit tamen

men ipsam rem, ut transeat cum suo onere, at arrestandi maneat actio hypothecaria salva. Interim etiam non est insolitum, quod simul cum petitione arresti, quando metus alienationis subest, etiam interdictum de non alienando exoretur: idque ob hanc utilitatem, quod facilius sit contra ipsum debitorem quam alium hypothecarium experiri, propter onus probandi, rem illam venditam tempore arresti in bonis debitoris fuisse.

§. VII. Si debitor fructus dissipet, *l. 21. §. 3. ff. de appellat.* interitus rei metuatur. *l. 20. C. de agric. & censit.* fugæ suspicio adsit. *l. 7. §. ff. qui satisd. cogantur* pervenitur ad sequestrum, quod etiam effectum habet alienationis prohibitivum. Optima tamen prospectio opus est, ne quis alicui talem causam & suspensionem falso objiciat: alias actio injuriarum pro ratione causæ vel delicti objecti aliarumque circumstantiarum metuenda. *l. 31. §. ff. de reb. auct. jud. poss.*

CAPVT V.

De Prohibitione Tertii privati.

§. I.

**P**ROHIBITIO alienandi à testatore facta primum robur videtur accepisse ex *l. 12. tabb. uti*

C 2

quis-

quisque rei suæ legasset, ita jus esto l. 120. ff. de V. S. propriam autem sedem habet in l. 114. §. 14. ff. de legat. 1. Et secundum hanc nuda prohibitio, quæ dominis liberam rei administrandæ facultatem absque ulla ratione vel causâ adimit, impeditque mutuum commerciorum usum, nullius est momenti, l. 38. §. 4. l. 65. pr. ff. de legat. 3. sed semper debet habere annexam probabilem causam vel pœnam, l. 63. §. 3. ff. de leg. 2. Et quidem vel *expresse*, v. g. si testator prohibeat prædij alienationem, ut conservetur familia, vel ut ex eo alimenta liberis & posteris præstentur, d. l. 65. §. 3. l. 77. §. 27. *eod.* vel *tacite*, si v. g. testator in prædio aliquo habeat unam turrim, quæ poterat esse refugium & tutum agnatorum receptaculum, vel si in odium aut favorem certarum personarum, etiamsi causam odii vel favoris non expresserit, alienationem prohibeat; uti, ne alienetur extra familiam, ne huic vel illi vendatur. Ubi utroque modo valet prohibitio. Nulla autem causâ expressâ, nec ex dispositione causâ præsumptive apparente, prohibitio præsumitur facta ob favorem ipsius prohibiti, qui favori pro se introducto potest renunciare, l. pen. C. de pact. & potius habet vim consilii quam præcepti, l. 24. §. 8. ff. de fideicomm. libert. Nec est



est mirum, quod causæ expressio tantum opèretur: cum videamus in transactione alimentorum, *l. 8. §. 9. ff. de transact.* etiam in dictis testium causas vel rationes præcipue inspici. *Dd. ad l. 1. ff. de testib.*

§. II. Tali prohibitionem à testatore recte facta, si heres nihilominus alienet, ipsa alienatio domini translativa non est, sed ipso jure nulla. Hinc si à testatore alienatio extra familiam sit prohibita, tunc hi, qui sunt de familia, alienationem revocare possunt instituendo rei vindicationem, *l. 11. C. de fideicommiss.* Sed si hi qui sunt de familia, quorum respectu prohibita est alienatio, consentiant alienationi, valet alienatio; quia cum in favorem familiæ sit facta provisio testatoris, ne sc. fundus extra familiam alienetur, isti favori possunt omnes si volunt, renunciare, *l. pen. C. de pact.* & consensu semel in alienationem dato non datur regressus ad prohibitionem testatoris.

§. III. Distingvenda tamen verba testatoris prohibitiva. Aut enim *in rem* sunt concepta, v. g. volo ut illa res perpetuo permaneat in familia, vel ut illa res nunquam alienetur; & prohibitio eam afficit, ut nunquam egrediatur, sed perpetuum habeat effectum; aut *in personam*, v. g. nolo ut heredes vendant rem sibi legatam; tunc

personæ quidem prohibentur alienare extra familiam, sed si una alienaret alteri ex familia, tunc illa pars semel alienata deinde semper est alienabilis etiam extra familiam, ut est textus expressus in *l. 38. §. 5. ff. de legat. 3.* sic ut prohibitio testatoris de non alienando intelligatur tantum de prima alienatione. *l. 89. §. 1. ff. de V. S.*

§. IV. Prohibitio tamen in rem concepta aliquando etiam cessat per *Auth. Res qua C. comm. de legat.* in qua dos & donatio propter nuptias prohibitionem non curant. Prohibitio enim alienationis semper fit in gratiam & utilitatem ejus, cui debent res restitui, & sic in eo est privata utilitatis: sed privata utilitati semper præfertur publica, quæ consistit in hoc, ut filius donatione propter nuptias inveniat uxorem, filia autem propter dotem inveniat maritum, & sic contrahantur matrimonia, in quibus est publica utilitas, ut civitas repleatur legitima sobole.

## CAPVT VI.

### De Prohibitione legali.

#### §. I.

**P**VPILLVS infantia proximus alium quidem  
fibi

sibi civiliter, sed seipsum ne quidem naturaliter obligat. Quamvis enim & infantia proximus, quoad usum rationis, non multum à furioso differat, & hujusmodi ætatis pupilli nullum habeant intellectum, ita ut secundum *Schneid. de auct. tut. n. 12.* omnia darent pro uno pomo, & pupilli tales nec velle nec nolle in ea ætate absque tutoris auctoritate dicuntur; nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est. *l. 189. ibique gloss. de R. J.* attamen quia multa jure Civ. contra communes regulas pro utilitate communi recepta sunt, ideo ex bono & æquo benignior interpretatio juris facta est, ut cum de commodo & utilitate eorum quæritur, idem juris habeant quos pubertati proximi, ne ætas quæ majori favore opus habet, minori gaudeat.

§. II. Pubertati proximus regulariter sibi alium etiam civiliter astringit, se tantum naturaliter: & huic obligationi naturali jure Civ. nulli tribuuntur effectus, non quod nulla vere hic subsit obligatio, sed quod pupilli personæ hoc specialiter tributum, ne obligatio ei noceat. *l. 59. ff. de O. & A. l. 29. ff. de condic. indeb.* Quamvis ratione aliorum hæc obligatio naturalis suos producat effectus. *l. 127. ff. de V. O.* Verum cum tutoris aucto-  
ritate

ritate uterque pupillus omne negotium recte gerit. §. 9. *J. de inut. stip. l. 5. ff. de R. J. ut. J. de auct. tot.* An etiam testamentum cum tutoris auctoritate facere possit? quaeritur. Quod neg. inter alia ob elegantem Justiniani rationem. *l. f. C. de testam. milit.* Indignum videtur eum qui stabilem mentem nondum adeptus, sapientum hominum jura pertractare, & in tam tenera aetate ex tali licentia parentibus forte suis, vel aliis propinquis nocere, propriam substantiam aliis relinquendo.

§. III. Licet minor, qui curatorem non habet, recte contrahat, dominium rerum transferat & ejus alienatio ipso jure non fit nulla, *l. 22. C. de admin. tut.* tamen contra certas alienationes de jure quidem subsistentes, si circa eas sit laesus, restituitur. Sic adversus venditionem, adversus pignorationem, donationem, transactionem, omissionem hereditatis, immodicam dotis constitutionem &c. restituitur. Non autem semper ea, quae cum minore geruntur, sunt rescindenda, sed ad bonum & aequum redigenda, ne magno incommodo hujus aetatis homines afficiantur, nemine cum iis contrahente, & quodammodo commercio iis interdicitur. Itaque nisi manifesta circumstantia sit, aut valde negligenter in ea causa versatus,

tus, prætor se interponere non debet. *l. 24. §. 1. ff. de rest. in int. l. 11. §. 4. ff. de minor.*

§. IV. Sed hæc pupillis & minoribus concessa alienatio de iis rebus est intelligenda, quæ in hanc ætatem cadit. Sic ne quidem cum tutorum vel curatorum auctoritate & consensu immobilia recte alienant, sed decretum iudicis, prævia causæ cognitione solenniter interpositum, debet præcedere. *l. 6. l. ult. C. de reb. cor. eor. qui sub tut. adeo ut absque decreto ne quidem ad divisionem fundi communis provocare possint. l. 7. ff. eod.*

§. V. Religiosi etiam, qui vota paupertatis, castitatis & obedientiæ fecerunt, de quib. *c. 10. C. 12. qu. 1. c. 2. x. de testam.* prohibentur sua alienare: nam eo ipso quo ingrediuntur religionem, & dedicant personas suas Deo & monasterio, intelliguntur etiam tacite omnia sua bona per consequentiam dedicare. *Auth. Ingressi. Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccl.* Quod adeo verum, ut bona mox pertineant ad monasterium, licet nullum verbum de iis sit prolatum.

§. VI. Fœminæ etsi possint obligari in propriis causis ac donare, *l. 4. §. 1. ff. ad SCt. Vellej.* tamen est constitutum, ne pro alio intercedant. *l. 1. eod.* Intercedere autem dicuntur, cum in se alie-

D

nam

nam obligationem recipiunt. *l. 4. C. b. & quidem Obligationem Veterem, vel eam participando si fidejudent aut constituunt pro alio. l. 1. §. 1. ff. de Constit. pec. aut res suas vel alii oppignoratas pro alio obligant. l. 17. §. 1. ff. b. l. f. §. 2. eod. vel eam in se transferendo cum expromittunt pro alio. l. 8. §. 8. ff. b. aut alium defendunt. l. 2. §. f. ff. b. Obligationem etiam novam, si pro alio pecunias accipiunt & statim se reas faciunt. l. 8. §. 14. ff. b.*

§. VII. Qui contra Imperatorem vel alium habentem jura principis conspirant, aut aliquid agunt ex quo Majestas lædatur, ipso jure amittunt sua bona. *l. 5. C. de L. Jul. Majestat.* Qui nefarias, naturæ contrarias, incestas nuptias contrahunt, eo ipso suarum rerum dominium perdunt. *C. 19. de hæret. in Sexto.* Item hæretici, Anabaptistæ. *l. 3. C. de Apostat.* non possunt alienare, nec inter vivos nec per ultimam voluntatem; quia lex ipsis adimit bona simul ac in hæresin, incestas nuptias vel crimen læsæ Majestatis inciderunt.

§. VIII. Quamvis alias proprietarius suam proprietatem invito usufructuario, citra tamen illius præjudicium, licite alienare possit. *l. 2. C. de usufr.* tamen filiusf. de bonis adventitiis sine expresso patris consensu inter vivos disponere non pot.

potest. *l. f. §. s. C. de bon. qualib.* Imo ne quidem de jure Civ. cum juramento, ubi juramentum eum plane non ligat, adeo ut nec teneatur petere absolutionem, nec sit perjurus quod non servet. *Bald. ad d. l. ff. Sicbard. ad l. 2. C. de usufr. n. 9.* Nec testari, legare, fideicommittere, codicillare possunt filiifam. *l. 3. §. 1. C. qui test. fac.* ne quidem cum consensu patris. *l. 6. ff. qui test. fac.* quamvis illis mortis causa donare cum consensu patris liceat. *l. 25. §. 1. ff. de mort. caus. don.*

§. IX. Judex urbanus commercii & ædificationis jus habebat, ex speciali permissione principis; Judex autem provincialis ex Rescripto principis contrahere potest, nec quidem per interpositam personam *l. un. C. de contract. jud.* ne per metum impressionis aut per concussionem adigerentur subditi ad carius emendum, & vilius vendendum quod sibi non proposuerant. *l. 11. C. de his, quæ met. caus.*

§. X. Nemo potest debitum, etiam non litigiosum, cedere potentiori; sub jactura debiti & pœna arbitraria *l. 2. C. ne lic. potent.* Potentior autem dicitur non qui actore, sed qui reo potentior. *Tusch. Concl. 461. lit. I. P.* & quidem ratione officii Magistratus, quo adversarium potest terre-

re, non quod privilegium fori habeat. *Menoch. l. 3. pres. 129. num. 27.*

§. XI. Qui veniam ætatis impetraverunt, bona immobilia alienare non possunt *l. 2. §. 1. in f. C. de his, qui ven.* Nam non potest minor, qui veniam ætatis impetravit, plura quam poterat cum auctoritate Curatoris *l. 22. C. de adm. tut.* sed requiritur ad alienationem immobilium, ut princeps alienationem expresse permittat *l. 2. C. quand. de ret. non est op.* vel decretum iudicis: alias alienatio est ipso jure nulla: quia similis est ea in parte conditio minorum omnium, sive petita sit, sive non ætatis venia. *l. 3. C. de his, qui ven.* ut restitutione opus non sit.

§. XII. Qui iudicii mutandi causa alienat, condemnatur in id, quod interest actoris, reum vel talem adversarium se non habuisse *l. 1. 2. 3. ff. de alien. jud. mut.* Requiritur autem ut alienatio sit facta ante iudicium susceptum, (2) per actum inter vivos, (3) ut duriorem adversarium substituat, & quidem (4) dolo malo, & (5) actoris inter sit rem non esse alienatam. Nisi alienans se offerat ad excipiendam utilem rei vindicationem, quasi possideat vel dolo defierit possidere. *l. 3. ff. eod.*

§. XIII.



XIII. Pater testamento sua bona non potest alienare, liberis, qui in potestate sunt, præteritis, sed testamentum est ipso jure nullum *l. 30. ff. de lib. & postb. hered.* (aliud in emancipatis aut à matre præteritis, ubi tantum est inofficiosum *Nov. 115. c. 3. pr. & l. f.*) nec potest alienare sua bona, liberis injuste exhereditatis, sed testamentum redditur inofficium *l. 4. ff. de inoff. test. Nov. 115. c. 3.* quod vice versa obtinet in liberis, si parentes præterierint vel exheredaverint, *l. 1. 14. 15. ff. & l. 17. C. de inoff. test.* itemque certo casu in fratribus, si fratres præterierint. *l. 1. ff. l. 27. C. d. t.* Possunt tamen usque ad legitimam res suas testamento alienare, & si minus legitima titulo honorabili sit relicta, datur actio ad supplementum *l. 30. C. de inoff. test.* ut ita sustineantur ultima elogia & defuncti famæ parcatur. Obiter notandum, quod hæc actio legitimæ expletoria sit perpetua, & contra actio de inoff. test. quinquennalis. *Brunn. add. l. 30.*

§. XIV. Si pater donationibus immensis facultates suas exhauserit, datur liberis querela inofficiosa donationis, ut donatio declaretur inofficiosa, rescindatur & per consequens liberis adjudicetur legitima. *ll. C. de inoff. don.* Si autem pater extraneo donaverit inofficiose re & consilio simul,

penitus revocatur donatio *Sichard. ad l. 1. C. b. t. n.*  
 4. Si concurrat causa donationis & causa legati,  
 tunc ad explendam legitimam incipiendum est à  
 legatis, non à donationibus: quia donatio inter  
 vivos eo tempore, quo facta est, continuo habuit  
 firmitatem, quæ autem legatis forte relicta, non  
 habent robur nisi post mortem. *l. 22. §. 1. ff. ad L.*  
*Falcid.* Sed si tempore donationis legitima ad-  
 huc sit salva, & pater dilapidet & decoquat residu-  
 um, tunc datur querela contra donationem prop-  
 ter suspicionem & fraudis conjecturam, qua ex  
 præteritis ad præsentia, & à præsentibus ad præte-  
 rita præsumitur. Tandem si successive pater mul-  
 tis donationibus exhausserit massam, ultima, pen-  
 ultima, & sic deinceps, donec impleatur legitima,  
 est revocanda donatio, & si cesset fraudis consili-  
 um, v. g. tempore donationis filio legitima fuerit  
 salva, postea autem hæc casu fortuito perierit, ces-  
 sat etiam revocatio. *Sichard. ad d. l. pluribus.*

§. XV. Sicut se habet querela testamenti  
 inofficiosi ad testamentum, & donationis inoffici-  
 osæ ad donationem: ita quoque se habet quere-  
 la inofficiosæ dotis ad dotem. Si ergo pater im-  
 moderatis dotibus exhausserit suas facultates, & a-  
 ctum sit, ut qui dotem accepit, eam lucretur, &  
 post

post patris mortem non conferenda sit, ex *l. un. C. de inoff. dot.* querela instituitur. Si autem per ipsam dotis constitutionem legitimæ nihil sit detractum, sed pater postea casu fortuito vel per contractum, emtionem vend. locat. conduct. bonis fuerit lapsus; hæc querela non datur: cum cesset defraudatio, & iniquum sit ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem. *l. 2. ff. Si à parente quis manum.*

§. XVI. Dantur in jure casus, in quibus nomine usufructus plena proprietas intelligitur *l. f. ff. de usufr. ear. rer. l. 15. ff. de aur. & arg. leg. addito onere fideicommissi.* Hinc si cui usufructus omnium bonorum cum potestate alienandi vel bona minuendi est relictus, ille habet proprietatem, sed cum onere restituendi superfluum. *Menoch. l. 4. tr. f. 133. n. 1. Sande l. 5. tit. 3. obs. 4.* Quadrantem autem bonorum plane non debet nec potest alienare, sed de hoc cavere, nisi cautio fuerit remissa, *Nov. 108. c. 1.* quam tamen quartam aliquando imminuere potest, ex justa causa scil. redemptionis captivorum, dotis, sponsalitiæ largitatis, si alia non adsit substantia *d. Nov. 108.* Interim inventarium, is cui tam ampla potestas est data, conficere debet; nam tali amplitudine bona fides sem-

semper includitur, quæ non patitur ut inventarium non fiat. Quod enim possit imminuere is, cui eo modo ususfructus est relictus, id semper intelligitur sine fraude. *l. 54. ff. ad Sct. Trebell.* verb. *fideicommissi enim verbis bonam fidem inesse constat, it. boni viri arbitrium inesse creditur.*

§. XVII. Propter regulam generalem, quod nemini jus quæsitum tolli vel restringi possit, in *l. 14. ff. de servit. præd. rud.* cavetur, dominum fundi servientis per eum locum, per quem alteri via est data, alii a quæductum vendere vel cedere non posse.

§. XVIII. Alex lusus dicitur omnis is, qui fortuna nititur, & quæstum pro fine habet, qualis est prohibitus. Si autem virtutis gratia fiat, ut si quis certet hasta vel pilo jaciendo, vel currendo, vel saliendo, luctando, pugnando *l. 2. ff. de aleat.* vel si familia frugi in convivio vescendi causa, *imbs Frübstück*, it. de re minima *arg. l. 3. C. b. ludat, ex l. f. ff. eod.* licitus est. Quamvis Paul. Castrensis dicat leg. hanc fin. hodie male observari, & Sichard. propter obscuritatem hujus legis novam aliquam Imperialem constitutionem, quid in alea observandum sit, desideret. Quicquid sit in ludis prohibitis, pecuniam ludendo perdere non licet,

cet, & quod alea perditum, ut indebitum, conditione ex lege repetitur, non solum ab ipsis qui perdidit, sed etiam, quæ à liberis perditæ, repetuntur à parentibus, imò etiam à parentibus perditæ, repetere liberos posse usque ad legitimam tradit *Caccialupus in tr. de ludo tom. 4. num. 81.* Et qui luserunt, eorumque parentes vel heredes, si hanc repetitionem neglexerint, potest defensor Civitatis eam repetere, etiam post 30. ad 50. annos, & pecuniam repetitam in opera civitatis convertere. *l. 1. & l. f. C. de aleat.* Quamvis autem hodie talis repetitio non sit in usu, quia utriusque & lucrantis & perdentis turpitudine versari dicitur, *Grænovogen de Leg. abrog. ad h. t. Carpz. L. 6. Resp. 96.* tamen hæc consuetudo ludum fortunæ, si quæstus tantum causa fiat, licitum facere non potest, quia cum bonis moribus pugnat, honestatem totamque rempublica lædit. *l. 2. C. qua sit long. consuet.*

§. XIX. Quamvis voluntas defuncti sancte sit servanda, adeo ut etiam in *l. 55. ff. de condit. & demonstrat.* videatur imperata obedientia, ut pecunia in mare projiciatur: tamen ineptæ voluntates hominum circa sepulturam non valent. *l. 113. §. f. ff. de leg. 1.* Hinc non oportet ornamen-

ta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt. *l. 14. §. s. ff. de relig. & sumt.*

§. XX. Filiisfam. ex omnibus causis regulariter obligantur. *l. 39. ff. de O. & A.* pecuniam autem ipsis mutuo dare prohibet SCtum Macedonianum, siue pecunia cum usuris, siue sine usuris sit mutuata. *l. 7. §. 9. ff. ad SCt. Maced.* & hoc SCtum præcise in terminis mutui subsistit, & alios contractus non stringit, nisi fraus SCto sit cogitata. v. g. si quis filiosfam. rem vendidit, ut eam iterum venderet, & rei pretium haberet in mutui vicem. *l. 3. §. pen. b.* Si ergo mercator merces pretiosiores in vestimenta vendidit filiosfam. vel si Oenopola vel caupo modum in porrigendo vino aut cerevisia excessit, prohibita est etiam talis alienatio, & locum habet SCtum arg. §. *pen. f. quod cum eo qui in al. pot. verb. quas in luxuriam consumebant.* nam & his sæpe materia peccandi malis moribus præstat. *l. 1. pr. ad SCt. Maced.*

§. XXI. Cum nobilitati sordida mercatura, solius quæstus causa instituta, derogare videatur, *l. 6. C. de dignit.* ideo iis, qui Nobiliores natalibus & honorum luce conspicui & patrimonio ditiores, perniciosum urbibus mercimonium exercere

ere prohibitum, ut inter plebejos & negotiatores  
facilius sit emendi vendendique commercium. *l. 3.*  
*C. de Commerc. & mercat.*

§. XXII. Jure Romanorum cum barbaris  
tempore pacis vel induciarum licitum erat com-  
mercium, dummodo mercatores abstinere à lo-  
cis exceptis & mercibus prohibitis. *l. 4. 5. C. de com-*  
*merc. & mercat.* Sic nec esculenta vel poculenta  
barbaris vendere licet, *l. 1. C. quæ res export. non*  
*deb. l. 11. pr. de publican.* adeo ut ne gustus quidem  
causa hoc facere liceret: ne scil. liquaminum dul-  
cedine illecti Barbari fines Romani Imperii inva-  
derent. *Brunn. ad d. l. 1. C. quæ res export.* Tem-  
pore belli autem arma vel ferrum ad hostes trans-  
ferre prohibitum sub pœna Criminis læsæ Majest.  
*l. 2. C. d. t. junct. l. 4. ff. ad L. Jul. Majest.*

XXIII. Emphyteuta dicitur dominus utilis  
rei in emphyteusi datæ, & non potest jus suum  
transferre in alium venditionis titulo, inconsulto  
domino. *l. 3. C. de jure emphyt.* Sed si nihilominus  
alienet, alienatio est nullius momenti, jus emphy-  
teuseos amittitur & ad dominum redit. *l. 3. in fin.*  
Et si Emphyteuta tantum partem alienet, ea tan-  
tum & non tota Emphyteusis amittitur, quia em-  
phyteusis est res sua natura dividua. Sub aliena-  
tione

tionem autem hoc loco oppignoratio non comprehenditur, *l. 16. §. ff. de pign. act.* quia in pœnalibus & odiosis vocabulum alienationis proprie debet intelligi, uti supra dictum, verum oppignoratio ita debet fieri, ut ad venditionem creditor non procedat, nisi requisito domino secundum formam. *d. l. 3.* Si emphyteuta donaverit, humanius est donationem denunciari domino, ut judicare possit de qualitate personæ, quia ejus interest emphyteuta non habere virum bonum & locupletem. In donatione tamen præferri non potest dominus. *arg. d. l. 3.* nisi ipsi donatario pretium offerre velit. *Brunn. ad l. f. C. b.*

§. XXIV. Maritus est dominus dotis. *pr. J. quib. al. lic. l. 21. §. 4. ff. ad municip.* & quidem verus & plenus in re dotali mobili, cum libera alienandi potestate indistincte, sive sit res quæ servando servari potest, sive quæ non potest *l. 3. C. de jur. dot. l. 42. ff. eod.* quia mobilium levior est æstimatio & jactura. *l. 47. ff. de acqu. poss.* item in re immobili æstimato & animo transferendi domini data. *l. 11. 12. 14. ff. de fun. dot.* fictus autem & ex quadam subtilitate juris, sive ut vocant Civilis, in re immobili inæstimato data. Hoc casu maritus rem dotalem immobilem alienare non potest, prop-



propter prohibitionem L. Juliae, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiae convertatur: quod adeo verum est, etiamsi foemina in alienationem consentiat. *l. un. §. 15. C. de rei ux. act.* Et hanc rem immobilem dotalem ne uxor quidem potest alienare, etiamsi maritus velit consentire. *l. 23. C. de jur. dot.*

§. XXV. Mater ad secunda, vel ulteriora vota transiens, non potest testamento, contractu, vel alio modo plus relinquere vel largiri secundo conjugii, quam uni ex liberis, qui minimum consequitur, reliquit. *l. 6. C. de secund. nupt.*

§. XXVI. Donatio inter virum & uxorem regulariter nullo modo valet *l. 1. 2. 3. ff. de donat. inter vir.* sive per ipsos conjuges sive per interpositas personas fiat *l. 5. §. 2. ff. l. 20. C. b.* Amor enim honestus solis animis aestimandus, & famae conjunctorum consulendum, ne concordia pretio conciliari videatur, neve melior in paupertatem incidat, deterior ditior fiat. Valet autem donatio inter sponsum & sponsam, eamque revocare non licet, si honoris causa & ad solennia nuptiarum & matrimonium contrahendum facta fuerit *l. 21. ff. b.*

§. XXVII. Affectionis gratia neque honesta neque inhonestæ donationes sunt prohibita: honestæ erga bene merentes amicos vel necessarios; inhonestæ circa meretrices. *l. 5. ff. de donat. nec donationes in concubinam collatæ revocari possunt l. 31. ff. eod.* Miles autem, nec focariæ, quæ focum instruit seu concubinæ aliquid donare potest, propter disciplinæ militaris vigorem, & favorem militum. *l. 2. C. eod.* Quod & ad milites togatos & Clericos extendunt *Dd. ad d. l.* Recte autem meretrici milites dicuntur donare. *Scolan. in Exam. Jurid. ad h. t. qu. 1.*

§. XXVIII. Inter patrem & filium regulariter donatio non valet *l. 11. 17. C. de donat.* nisi morte *l. 25. C. de don. int. vir. & ux.* vel juramento sit firmata, vel sit donatio remuneratoria *arg. l. 27. ff. b.* Subsistere autem talem donationem de jure Saxonico docet *Vvesub. parat. ff. b. t. n. 4.*

§. XXIX. Donationes excedentes 500. solidos actis sunt insinuandæ *l. 32. 35. C. de donat.* Nisi ad piissimas causas, vel à principe aut principi fuerint factæ *l. 36. §. 2. junct. l. 34. pr. vers. exceptis. & aoth. Item C. de donat.* Quæ solennitas insinuationis adeo est necessaria, ut ei renunciari non possit, quia lex hanc formam introduxit. Si quis con-

consanguineis aut domesticis donet ultra 500. solidos, an etiam tunc insinuatio requiratur, posset habere dubium *ex l. 4. C. de P. P.* quia melius sit causas, quæ inter domesticos versantur, inter privatos parietes componi: sed & hoc aff. propter generalitatem legis, unde conjunctæ personæ non sunt exceptæ. Imo ratio hujus legis, ut nimis effusæ donationes refrenentur, & ut fraudibus occurratur, hos magis stringere videtur: facilius enim conjunctus vel domesticus instrumenta, quibus rei veritas continetur, surripere potest, quam extraneus, facilius quid fingere vel falsum instrumentum supponere. *Brunn. ad l. 27. C. de don.*

§. XXX. In fraudem creditorum alienare non licet, sed succurrit prator remedio rescissorio actione scil. Pauliana creditoribus *l. 38. §. 4. ff. de usur.* quicquid ergo à debitore in fraudem creditorum sit factum, modo animo fraudulento eventus respondeat *l. 15. ff. que in fraud. cred. l. 47. ff. de R. J. sive per pactum, quo quid decedit bonis l. 1. §. 2. b. l. sive per alienationem, ad quam etiam spectat, si quis hypothecam fraudulenter constituerit l. 1. §. 10. eod.* item si res allodialis in feudalem convertatur, hoc remedium admittitur. Modo ex debitoris bonis aliquid sit imminutum: non si  
lu-

lucrum sit omissum, ut si hereditati renunciatur.  
*l. 6. pr. & l. seqq. b. t.* Incumbit autem creditori,  
 hanc actionem intentanti, probatio fraudis *l. 10.*  
*§. 1. 15. b.* quæ fieri potest indicis ex actibus clande-  
 stinis, etiam ex effectu fraudis per excussionem bo-  
 norum *l. 1. C. & l. 17. §. 1. ff. b.*

§. XXXI. *Ædes* in civitate vendi non pos-  
 sunt, ut destruantur & marmora inde aliaque or-  
 namenta detrahantur: ne publicus deformetur  
 aspectus *l. 2. C. de adif. priv. l. 52. ff. de contrab. emt.*  
 Ideo nec columnas nec statuas cujuscunque mate-  
 riæ ex urbe in aliam transportare licet *l. 7. C. eod.*

§. XXXII. Vasallus feudum nec Seculare  
 nec Ecclesiasticum alienare potest *c. un. §. fin. 2. F.*  
*g. c. un. 2. F. 9.* sive fiat per ultimam voluntatem *1.*  
*F. 8.* sive ad pias causas. *2. F. 9.* & si quis contra fe-  
 cerit, feudum amittit. *1. F. 5. 2. F. 27. 2. F. 28.* Ec-  
 clesia enim est cultrix justitiæ neque in se nec in ali-  
 um quenquam admittit iniquitatem *1. F. 13.* Eo-  
 dem modo nec dominus feudum sine consensu  
 Vasalli potest alienare & alteri dare. *2. F. 55.*

Et hæc pro luppeditanda materia dis-  
 putatoria sufficient.

SOLI DEO GLORIA.







01 A 6536









DISPUTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**ALIENATIONE  
DOMINO PROHIBITA,**

7

GERMANIS:  
In welchen Fällen dem eigenthümlichen Besitzer die Ver-  
äußerung seiner Güter untersaget werden könne.

QVAM  
PRAESIDE  
**IO. PHILIPPO SLEVOGTIO, IC.**  
CONSILIARIO SAXONICO ET ANTECESSORE  
CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ASSESSORE

PRO LICENTIA  
IN  
AVDITORIO IVRECONSVLTORVM IENENSIVM  
AD DIEM XIII. FEBR. MDCXCIII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SISTET  
**DANIEL EVSEBIVS IAEGER.**




---

IENAE,  
REC. PER IO. BERNARDVM HELLERVm,  
A. O. R. MDCCLXII.

71